



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 5. An licet habere plura Beneficia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Q. 5. *An licet habere plura Beneficia?*

*Resp.* Non licet sub mortali accipere, ac retinere plura Beneficia etiam simplicia, & cum dispensatione Papæ, quando unum sufficit ad honestam sustentationem; nisi aliud postuler Ecclesiæ necessitas, vel utilitas, vel alia justa causa in utilitatem Ecclesiæ redundans. *Ita S. Thom. Quodlib. 9. a. 15. Toletus, Bellarmin. in instruct. ad suum nepot. Azor, Reginal. Layman, Lessius, dicens esse fere communem Theologorum. Imò videtur nunc communis.*

*Prob.* Quia 1. Papa non est Dominus Beneficiorum, sed solum dispensator, qui non potest valide dispensare bona Ecclesiæ, nisi in utilitatem Ecclesiæ, & ad Dei cultum; cum in hunc solum finem donata sint. Præterea jure communi prohibita est pluralitas Beneficiorum à Conc. Gener. Later 3. & 4. & Nic. 2. & à Trident. Sess. 24. cap. 17. ubi statuit ut *unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, etiam conferri.* At usus dispensationis sine justa causa datæ

Zz. 2

est



est illicitus, ut dixi in Tract. de Legib. 2. Hæc pluralitas, nisi necessitas, vel utilitas Ecclesiæ interveniat, est vetita jure divino naturali, ideòque prorsus indispensabilis. Nam seclusâ tali causâ pluralitas illa est intrinsecè mala, cum contineat multas inordinationes, (ut docet S. Thom. sup.) nimirum 1. Minuitur cultus divinus, Deus enim magis per plures Ministros, quàm per unum colitur. 2. Ecclesia destituitur suis operariis, nam unus nequit in pluribus locis residere, nec plurium ministeria obire. 3. Fundatores frustrantur sua pia intentione; nam Beneficiorum fundatio eò tendit, ut plures Ministri Ecclesiæ constituantur. 4. Nisi Ecclesiæ necessitas, vel utilitas aliud postulet, iniquum est, ut unus stipendia pluribus Ecclesiæ Ministris destinata accipiat. 5. Subsidio privantur alii pauperes Clerici, & forsan magis idonei, & Ecclesiæ utiliores futuri. 6. Inde profluunt scandalorum occasiones, & suppeditatur avaritiæ, luxûs, & ambitionis materia. Quare Conc. Gener. Later. 3. ait cap. 14. pluralitatem Beneficiorum *certum continere periculum animarum.* & Trid. cap. cit. addit pluralitate perverti ordinem Ecclesiasticum.

Dixi, *nisi id postulet, &c.* Nam, ut ait Toletus, *plura Beneficia habere est de eo-*



*rum numero, quæ mala sunt, tamen possunt bona fieri, si aliquibus bonis circumstantiis copulentur.* addit quòd perinde sit habere unum Beneficium, cum una Commenda perpetua, seu ad vitam, vel plures Commendas, ac habere plura Beneficia in titulum; nam Commenda perpetua æquiparatur Beneficio in emolumento & onere; & Trident. Sess. 24. cap. 17. expressè declarat non licere plura Beneficia etiam commendata habere.

Q. 6. *An est culpa mortalis Beneficium conferre indigno, vel minus digno?*

*Not.* Indignus dicitur, qui ad Officium debitè præstandum est ineptus ratione prævæ vitæ, vel ignorantia, vel morbi, aut similis impedimenti; vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfactorius officio. Hinc qui versatur in habitu alicujus peccati mortalis, est indignus, *quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum,* ait S. Thom. Quodlib. 8. q. 4. a. 6. Dignior censetur non absolutè, qui doctior est, vel sanctior, sed qui omnibus spectatis putatur meliùs officio satisfactorius, & futurus utilior Ecclesiæ, ac bono